

permanent genuflexi, donec Episcopus benedixerit, et statim procedunt ad Evangelium cantandum, hoc ordine: Præcedit Cæremoniarius, mox thuriferarius cum thuribulo et navicula, sequuntur duo ceroferarii cum candelabris ac cereis accensis, deinde Subdiaconus manibus junctis, ultimo Diaconus, librum Evangeliorum clausum ante pectus portans. Et transeuntes ante altare, faciunt illi reverentiam cum genuflexione, præter Diaconum et Subdiaconum, qui cum sint Canonici non genuflectunt. Cum pervenerint ad locum, ubi solet Evangelium decantari, Subdiaconus, medius inter dictos ceroferarios, tenet librum Evangeliorum apertum ante pectus, vertens renes non quidem altari, sed versus ipsam partem dexteram, quæ pro Aquilone figuratur.

45. Si vero in Ecclesia fuerint legilia, vel ambores, in illis poterit cantari Evangelium; videlicet, si cantabitur in legili, seu pulpito, Subdiaconus stabit post illud, quod panno aureo, vel serico coloris cæterorum paramentorum coopertum et ornatum esse debet, amplectens ipsum legile, et manibus hinc inde librum tangens, quod si cantabitur in ambone lapideo, ad quod per gradus ascenditur, prout adhuc in pluribus Ecclesiis, juxta antiquam consuetudinem, hujusmodi ambores reperiuntur, tunc Subdiaconus assistet, et ministrabit Diacono opportune, stans a latere ejus dextero, videlicet porrigens thuribulum, et vertens folia libri Evangeliorum, cum opus erit.

46. Diaconus, cum tempus est, junctis manibus ante pectus, incipit Evangelium, et cum dicit *Dominus vobiscum*, Episcopus, depositis gremiali et mitra, surgit, et cum Diaconus dicit *Initium*, vel *Sequentia sancti Evangelii*, etc., signat librum, ubi est textus Evangelii, deinde seipsum in fronte, ore et pectore. Episcopus autem, accepto baculo pastorali, eodem modo signat se in fronte, ore et pectore; idem faciunt et omnes alii: tum ipse Episcopus retinet baculum inter ambas ejus manus junctas, stans versus Diaconum cantantem: et cum respondetur a choro *Gloria tibi, Domine*, etc., Cæremoniarius, accepto thuribulo de

manu thuriferarii, ibi prope adstantis, illud offert Diacono, qui thurificat librum, primo in medio, deinde a parte dextera libri, mox a sinistra triplici ductu, et reddit thuribulum Cæremoniarario: tum manibus junctis prosequitur Evangelium, et cum profert nomen *JESU*, vel *MARIE*, inclinatur se, sed profundius, cum dicit, *JESUS*; quod et omnes faciunt: Subdiaconus autem et ceroferarii perstant velut immobiles. Finito Evangelio, Subdiaconus, nulla facta reverentia, portat librum apertum in folio, ubi est principium Evangelii cantati, et illum offert osculandum Episcopo, nulla ei facta reverentia, nisi postea, libro clauso.

47. Diaconus et alii cum debitis reverentiis eodem ordine revertuntur, et Presbyter assistens, accepto thuribulo de manu Cæremoniarii, vel thuriferarii, stans, thurificat Episcopum stantem.

48. Si erit habendus sermo, quem, Episcopo celebrante, ab eo fieri convenit, vel ab aliquo Canonico Presbytero, si quidem Episcopus erit concionaturus, id faciet in propria sua sede, quando est versa ad populum, vel quando altare adhæret parieti, apud ipsum altare, sedens ibi super faldistorio, in suppedaneo ipsius altaris, versis altari renibus.

49. Sedebunt ad ejus dexteram Presbyter assistens, et modicum post eum Diaconus Evangelii, et primus Diaconus assistens: a sinistris vero sedebunt Subdiaconus, et alter Diaconus pariter assistens.

50. Expleto sermone, Diaconus, qui cantavit Evangelium, stans ad sinistram Episcopi aliquantulum inclinatus, faciet confessionem ante Episcopum, ut in *Cap. ix. §. III. Lib. I. de officio Diaconi* in Missa solemni explicatur, qua finita, Presbyter assistens pronuntiat Indulgentias, et Episcopus stans sine mitra in eodem loco, legit absolutionem, videlicet *Precibus, et meritis*, etc. et inde, accepta mitra, dat benedictionem; et, si est Archiepiscopus, vel alius utens cruce, portatur ante eum crux per Capellanum, qui eam tenet genuflexus spatio congruenti, imagine



Crucifixi ad Archiepiscopum versa, cui ille caput inclinatur, et detecto capite benedicit: statimque si Episcopus ante altare sermonem habuit, revertitur ad sedem suam, ubi dicit *Credo, etc.*, vel *Dominus vobiscum*, prout convenit.

51. Si vero sermo habendus sit per Canonicum, qui eo casu debet esse in habitu ordinis, seu dignitatis suæ, suo tempore ibit ad osculum manus Episcopi, et ab eo profunde inclinatus petet benedictionem et Indulgentias in forma, prout suo loco explicatur, et sic paratus ascendit pulpitem sive ambonem, et faciet sermonem; ac deinde finita per Diaconum confessione, in eodem loco publicabit Indulgentias in forma, prout suo loco dicitur, Episcopus vero legit absolutionem, et dat benedictionem, ut supra.

52. Quod si sermo habendus non sit, ipse Episcopus, statim incensatus post Evangelium, conversus ad altare, incipit, cantando ex libro per Presbyterum assistentem, aliis coadjuvantibus ut supra, sustentato, *Credo in unum Deum*, quod cum suis ministris submissa voce prosequitur; pariter et Diaconus et Subdiaconus apud altare, et Canonici illud inter se dicunt, et ad Versiculum *Et incarnatus est, etc.*, Episcopus genuflectit, et pariter omnes de choro genuflectunt.

53. Quo finito, sedet Episcopus cum mitra simplici, et omnes etiam sedent: et cum prædictus Versiculus cantatur a choro, pariter Canonici sedentes, capite detecto, et Episcopus cum mitra profunde inclinatur caput versus altare; alii genuflectunt, donec perficiatur dictus Versiculus. In nocte vero, et die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, ac die Annuntiationis beatæ Mariæ Virginis, Episcopus cum mitra apud suam sedem, et Canonici, ac omnes alii in suis locis genuflectunt, quando cantatur dictus Versiculus a choro, et eo finito, omnes sedent.

54. Diaconus, finito Versiculo, surgit, surgente etiam Subdiacono, et accedens ad abacum, capit bursam cum corporali, quam ambabus manibus elevatis usque ad oculos, cum decenti mora et gressu, ac cum debitis reverentiis

portat ad altare, ubi extrahit corporale, idque explicatum ponit super altare in medio, bursam vero seorsim in eodem altari collocat; ita ut non præbeat impedimentum; et statim redit ad locum suum, et sedet; tunc sedet Subdiaconus, si forte expectavit stans, ex consuetudine multorum.

55. Circa finem Symboli surgunt omnes ministri, eo vero prorsus a choro cantato, surgit Episcopus, depositis gremiali et mitra; et stans in sua sede, cantat versus populum *Dominus vobiscum*, et *Oremus*, manibus prius parumper extensis, et mox statim junctis, ut supra de Oratione dictum est.

56. Quod si sederet in faldistorio, ut quia Legatus, vel Cardinalis adesset, ob cujus præsentiam abstineret a sua sede Episcopali, tunc servabit regulam vertendo se ad populum, vel ad altare, prout suo loco explicatur, legit mox Offertorium, summissa, sed intelligibili voce, ex libro, quem tenet Capellanus, de eo serviens.

57. Quo lecto, sedet, et accipit mitram pretiosam, deponitque anulum et chirothecas, quæ omnia extrahuntur ab assistentibus Diaconis; et accedente scutifero, vel alio nobili, lavat manus, et præbente mantile Presbytero assistente, tergit, ut dictum est in principio hujus capituli. Assistens vero, vel statim postquam Episcopus legit Offertorium, præmittit ministrum, de libro servientem, qui eum ferat ad altare, vel ipse, ubi primum mappam porrexit et recepit, portat illum cum pulvino cum debitis reverentiis, comitante eum Cæremoniario, illumque supposito pulvino, reponit in cornu Evangelii apertum eo loco, in quo continentur ea, quæ celebrans est lecturus, ibique, extra dictum cornu, expectat celebrantem.

58. Interim, dum hæc omnia fiunt, pulsatur organum, si illic habeatur, prout in *Cap. xxviii. § ix. Lib. i. de organo et organista* præscribitur.

59. Episcopus statim, lotis manibus, reassumit anulum a Presbytero assistente porrectum, et surgit, accipiens manu sinistra baculum pastorem, et medius inter duos



Diaconos assistentes, ac subsequente ministro, de mitra serviente, procedit ante infimum gradum altaris in medio, ubi depositis baculo et mitra, factaque profunda reverentia cruci, ascendit ad altare, auxiliantibus ipsi ascendenti gradus, Presbytero assistente a sinistris, si per alium præmiserat librum, Diacono vero Evangelii a dexteris; et cum fuerit ante altare, omnibus tunc in choro sidentibus, illud in medio osculatur, positus hinc inde manibus.

60. Subdiaconus, postquam Episcopus lavit et tersit manus, accedit ad abacum, ubi velum illud sericum, quo calix, patena, et alia super ipsa mensa cooperiebantur, circumcirca humeros accipit, adjuvantibus Acolythis, ita ut longius pendeat a parte dextera; deinde capit manu sinistra calicem cum patena, super qua duæ sint hostiæ mundæ, palla coopertæ, ac dictam partem longiorem veli super ea extendit; dexteramque supra ipsum velum et calicem leviter apponit, ne aliquid decidat, et sic ad altare procedit, quem sequitur Acolythus, urceolos vini et aquæ portans, sumptos ex eodem abaco, et prægustatos a credentiariis, ita ut eodem tempore cum Episcopo ad altare perveniant, ubi Subdiaconus calicem cum patena ponit in cornu Epistolæ, remoto velo.

61. Diaconus vero capit de manu Subdiaconi patenam cum hostiis, ex quibus unam accipiens, et cum ea tangens alteram, ac patenam, et calicem intus et extra, eandem Sacristæ, ibi præsentis, prægustandam præbet: mox patenam cum altera hostia ad manus Episcopi cum osculo porrigit, qui illam ambabus manibus ante pectus elevatam tenens, et oculos sursum dirigens, ac inde demittens, dicit *Suscipe, sancte Pater, etc.*, et in fine faciens cum ea signum crucis, collocat hostiam super corporali versus se, patenam vero ponit ad dexteram sub corporali.

62. Interim Diaconus parum vini et aquæ ex ampullis, quas ibidem Acolythus tenet, in aliquem cyathum infundit, ex quo Sacrista illud bibit, mox calicem tergit purificatorio, et accepto de manu Subdiaconi urceolo vini, quem illi

Acolythus ministrat, imponit vinum in calicem, quantum sufficiat, Episcopo inspiciente: Subdiaconus vero urceolum aquæ parumper versus Episcopum elevans, dicit: *Benedicite, Pater Reverendissime*, Episcopus autem, facto versus eum signo crucis, dum infundit pauculum aquæ in calicem, dicit Orationem *Deus, qui humanæ substantiæ, etc.*

63. Diaconus deinde porrigit Episcopo celebranti calicem cum osculo calicis et manus, quem Episcopus ambabus manibus capiens, dextera scilicet nodum, sinistra pedem, illum offert simul cum Diacono tangente pedem calicis, seu brachium dexterum Episcopi sustentante, simulque cum illo dicit Orationem *Offerimus tibi, Domine, calicem, etc.* Qua dicta, eundem calicem, facto cum eo signo crucis, ponit Episcopus super corporali in medio, retro hostiam, ita ut hostia sit inter ipsum celebrantem et calicem, quem Diaconus palla cooperit. Tum idem Diaconus, capiens patenam, ponit illam in manu dextera Subdiaconi, ac extremitate veli ab ea parte pendentis contegit, quam Subdiaconus, stans post Episcopum et Diaconum, spatio congruenti, sustinet elevatam usque ad *Pater noster*, ut infra dicitur.

64. Prosequitur interim Episcopus cum cæremoniis, prout in Missali, Orationes, videlicet *In spiritu humilitatis, etc.*, et *Veni, sanctificator, etc.*; et cum dixerit *Benedic hoc sacrificium, tuo sancto nomini præparatum*, ministrante Diacono naviculam, et dicente *Benedicite, Pater Reverendissime*, Acolytho vero thuribulum sustinente, dicit *Per intercessionem, etc.*, et alia, prout in Missali: et accipiens thuribulum de manu Diaconi, thurificat oblata et altare, juxta formam in suo particulari *Cap. xxiii. §. ix. Lib. i.* traditam, dicens interim Versiculos *Dirigatur oratio mea, etc.* Quo thurificato, reddit thuribulum Diacono in cornu Epistolæ, dicens *Accendat in nobis Dominus, etc.*, et accepta mitra pretiosa ab assistentibus, vel ipsis deficientibus, de manu Cæremoniarum, vel alterius, thurificatur in eodem loco stans a Diacono triplici ductu, et statim lavat manus, more solito, dicens



Psalmum *Lavabo, etc.*, ministrante mappulam pro illis tergendis Presbytero assistente.

65. Diaconus vero interim thurificat Prælatos, Dignitates, Canonicos, Magistratus et alios de choro, ordine prout late suo loco explicatur.

66. Postquam Episcopus laverit et absterserit manus, aufertur ei mitra a præfatis assistentibus, vel, illis absentibus, a Cæremoniario vel altero, qui eam illi proxime imposuit, quam minister de ea serviens reportat ad abacum. Episcopus vero rediens ad medium altaris, inclinatus, et junctis manibus, dicit Orationem *Suscipe, sancta Trinitas, etc.*, qua dicta, osculatur altare, deinde erectus, convertit se, junctis manibus, ad populum per latus suum dextrum, dicens voce intelligibili, ac manibus parumper extensis, *Orate, fratres*, et statim eas jungens, perficit circulum, proseguendo *ut meum, ac vestrum, etc.* Tum manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio altaris versus librum, dicit absolute sine *Oremus* et sine alia interpositione, Orationem, vel Orationes secretas. Cum dicit *Per Dominum*, jungit manus, et cum dicit *Jesum Christum*, caput inclinatur, quod facit in prima Oratione, et in ultima, si plures sint dicendæ.

67. Cum autem pervenerit in fine ultimæ Secretæ ad *Per omnia sæcula*, exclusive, stans in medio altaris, positus hinc inde super altari manibus, clara voce cantando, illa profert, deinde *Dominus vobiscum* cum Præfatione competentis, et dicens *Sursum corda*, manus aliquantulum elevat; ac dicens *Gratias agamus, etc.*, manus elevatas jungit in verbo *Deo nostro*, oculos elevans, et statim caput aliquantulum inclinans, mox disjungit manus, easque expansas tenet usque ad finem Præfationis; et iterum cum dicit *Sanctus, Sanctus, etc.*, illas jungit, capite aliquantulum inclinato, proseguens cætera cum ministris, summissa voce, videlicet, assistente Presbytero et Diacono, qui tunc ad eum accedit. Et cum dicit *Benedictus, qui venit, etc.* erigens se, facit sibi signum crucis a fronte ad pectus,

sinistra infra pectus posita: tum manibus junctis, et super altari positus, devote inclinatus, extollit ad crucem oculos, et eos statim demittit, et incipit, ac proseguitur secreta totum Canonem, illumque adjuvat Diaconus, elevando dalmaticam ad brachium, et discooperiendo et cooperiendo calicem, dum signat, et alios actus facit, prout in Missali, attente et devote usque ad Elevationem. Presbyter vero assistens advertat ad illa verba *Una cum famulo tuo, etc.* et *Antistite nostro, etc.*, ut ea proferat secundum regulas in Rubricis Missalis positas, videlicet *Me indigno servo tuo, etc.*

68. Dicto *Sanctus, etc.* vel incepto Canone, quatuor, sex, aut ad summum octo ministri, cottis induti, afferant totidem funalia ceræ albæ accensa, et factis debitis reverentiis, collocant se genuflexi hinc inde a lateribus Subdiaconi, tenentis patenam, vel si magis commodum, ad latera altaris.

69. Tunc vero omnes, tam in choro, quam extra genuflectunt, præter Presbyterum et Diaconos assistentes, et Diaconum ac Subdiaconum, qui non nisi cum celebrante genuflectunt: cum celebrans profert verba Canonis *Quam oblationem, etc.* et dum elevatur SS. Sacramentum, Diaconus accedit ad ejus dexteram, advertens ad discooperiendum et cooperiendum calicem, cum Episcopus super eo signat, et cum SS. Sacramentum elevatur, genuflexus sublevat extremitatem planetæ Episcopi celebrantis, prout de his plenius in *Cap. ix Lib. i §. v.* de officio Diaconi dictum fuit.

70. Interim Cæremoniarius, seu aliquis Acolythus, imposito a se ipso, vel ab alio, thure absque benedictione in thuribulum, thurificat Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini, dum elevatur, ter pro unoquoque ducens thuribulum. Chorus proseguitur cantum usque ad *Benedictus, qui venit, etc.* exclusive, quo finito, et non prius, elevatur Sacramentum. Tunc silet chorus, et cum aliis adoratur. Organum vero, si habetur, cum omni tunc melodia et gravitate pulsandum est.



71. Elevato Sacramento, chorus prosequitur cantum *Benedictus qui venit, etc.*, ministri funalia habentes, surgunt, et factis debitis reverentiis discedunt, ac funalia extra Presbyterium extinguunt, nisi facienda sit communio, quia tunc remanent genuflexi cum funalibus accensis usque ad finitam communionem, et pariter tunc omnes surgunt, et stant usque ad communionem inclusive. Celebrans continuat Canonem Missæ cum signis et cæremoniis, prout in Missali. Diaconus vero advertit ad detegendum calicem, cum opus est, aliaque faciendum, quæ latius in superiori Cap. de officio Diaconi in Missa solemnè explicantur.

72. Cum celebrans pervenerit ad Versiculum *Per omnia sæcula, etc.* manibus super altari hinc inde intra corporale positus, dicit intelligibili voce *Per omnia sæcula sæculorum.* Cum dicit *Oremus*, jungit manus, caput Sacramento inclinans: cum vero incipit *Pater noster*, elevat illas ante pectus, easque sic elevatas extensasque tenet usque ad finem dictæ Orationis Dominicæ.

73. Cum dicit *Et dimitte nobis, etc.*, Subdiaconus, facta altari reverentia cum genuflexione, accedit cum patena cooperta ad cornu Epistolæ altaris, ubi Diaconus, remoto velo ex patena, illam capit de manu Subdiaconi, quam abstergit, osculatur, et cum manus osculo porrigit Episcopo celebranti, statim finita Oratione Dominica, qui illam inter indicem et digitum medium dexteræ manus capiens absque eo, quod indicem a pollice disjungat, incepta Oratione *Libera nos quæsumus, etc.*, antequam dicat verba *Da propitius pacem, etc.*, signat se cum ea a fronte ad pectus, et reliqua dicit et facit, quæ in Missali ponuntur.

74. Subdiaconus statim, reddita patena Diacono, deponit velum ad manus Cæremoniarîi, vel alicujus Acolythi, qui illud ad abacum reportat, ipse vero ad locum suum retro celebrantem redit.

75. Cum celebrans dixerit *Hæc commixtio, etc.*, dicit *Agnus Dei, etc.*, simul cum assistente et Diacono: quibus dictis, Presbyter assistens, facta genuflexione Sacramento,

accedit ad dexterum latus celebrantis, Diaconus vero similiter ad sinistrum, ubi supplet ad librum loco assistentis; ipse vero assistens, dicta per celebrantem Oratione *Domine Jesu Christe, qui dixisti, etc.* genuflectit, et statim surgit, osculatur altare simul cum celebrante, a quo dicente ei *Pax tecum*, accipiet pacem, cui ipse respondet *Et cum spiritu tuo*; dumque pacem accipit, appropinquat sinistram genam suam sinistræ celebrantis, ita ut se invicem leviter tangant; et iterum ante Sacramentum genuflectens, ac statim surgens, recedit, et comitante Cæremoniarîo, pacem in choro distribuit, sicut in Cap. xxiv. §. iii. Lib. i. de ordine dandi pacem, plene demonstratur.

76. Quo facto, revertitur ad locum et officium suum. Interim Diaconus supplet ad librum loco Presbyteri assistentis a sinistris, et Subdiaconus a dexteris servit discooperiendo calicem, et alia faciendo, quæ erunt opportuna, donec Episcopus communicet. Celebrans prosequitur Missam, prout in Missali, et cum sacram communionem Corporis et Sanguinis Domini sumpserit, ac se purificaverit, digitosque abluerit, accedit Acolythus de mitra serviens, illamque porrigit Diacono, et Diaconus eam imponit celebranti, fimbrias elevante Diacono assistente, vel Cæremoniarîo, qui stans in cornu Epistolæ, lavat manus, afferente lances scutifero, seu nobili, ordine superius dicto; et Presbyter assistens transfert librum ex latere Evangelii ad latus Epistolæ, nisi jam translatus fuerit a Diacono.

77. Subdiaconus vero complicat corporale, tergit et mundat calicem, et omnia, quæ prius attulerat, colligit et componit, velum et bursam super calicem reponendo, eaque ad abacum reportat, sine tamen velo humerali, per gradus anteriores altaris, facta illi reverentia.

78. Episcopus vero, tersis manibus, deponit mitram, legitque Communionem ex libro, quæ etiam cantatur a choro post *Agnus Dei*, postquam Episcopus sumpserit communionem; et ea cantata, Episcopus accedit ad medium altaris, quod osculatur more solito, et vertens se ad popu-



lum per latus suum dexterum, cantat *Dominus vobiscum*; et reversus ad librum per eandem partem, dicit *Oremus*, versa facie ad crucem altaris; deinde Orationem, seu Orationes competentes; quibus cum sua conclusione finitis, redit iterum ante medium altaris, quod, ut prius, osculatur, et rursus ad populum versus, cantat *Dominus vobiscum*; et responso per chorum *Et cum spiritu tuo*, Diaconus vertit faciem ad populum, renes autem celebranti, vel alias juxta dispositionem altaris, et regulariter stat versus, prout celebrans, et cantat *Ite Missa est* in tono festivo; quo dicto, ipse et celebrans simul vertunt se per latus Epistolæ ad altare, et celebrans dicit *Placeat tibi, sancta Trinitas, etc.*

79. Quo dicto, si adsit Cardinalis non Legatus, seu Archiepiscopus suus, aut alius Superior, retrocedit paululum ad latus Epistolæ, quasi benedictionem ipsi Superiori dandam remittens; ipse tamen Superior omnino illam ipsi Episcopo relinquat. Sed præsentem Legato de latere, convenit, ut ipse Legatus benedicat, etiamsi Episcopus sit Cardinalis. Cum vero Episcopus benedictionem daturus est, sumpta mitra, in medio altaris, benedicit, more solito, prout in Vesperis dictum fuit.

80. Et si Indulgentia non fuit publicata post sermonem, publicatur ibi tunc per Presbyterum assistentem in cornu Epistolæ versus populum: quæ publicata, Episcopus, deposita mitra, dicit versus cornu Evangelii *Dominus vobiscum*, summissa voce, et facto signo crucis super altari, dicit *Initium sancti Evangelii secundum Joannem*, quod prosequitur, sumpta mitra et baculo, procedendo ad locum, ubi a principio accepit paramenta, associatus a Canonicis; ibique per eosdem ministros exuitur sacris paramentis: Canonici vero deponunt sua paramenta ibidem in locis suis.

81. Si celebrans sit Archiepiscopus, dat benedictionem sine mitra versus ad suam crucem, et deponit pallium super altari, ac postea dicit *Initium sancti Evangelii, etc.*

82. Quod si in hujusmodi Missa esset facienda communio generalis, vel particularis aliquorum, observabuntur ea, quæ in *Cap. xxix hujus Lib. II. §. III.* de Missa solemni in die Paschæ, Episcopo celebrante, dicuntur.

## CAPUT IX.

*Missæ solemni quomodo Episcopus assistat. Convenit ut sacra indumenta adhibeat in festis solemnioribus pro eadem assistentia. Diaconi assistentes, in habitu Canonicali inservire debent. Ordo procedendi ad Ecclesiam. Quando Episcopus assistat cum cappa. Quid servandum, si Missa celebretur per alium Episcopum, seu Suffraganeum. Thurificatio qua ratione facienda.*

1. Quemadmodum superius de Vesperis solemnibus coram Episcopo celebrandis diximus, Episcopum pluviali, ac aliis paramentis ibidem expressis, indutum, convenienter interesse, et Officium facere, sic etiam, cum ipsemet non erit celebraturus, sed Missæ per alium celebrandæ intererit, iisdem sacris indumentis vestitus esse poterit, eodemque modo, ordine et loco, ea sumere, prout ibidem demonstratum fuit.

2. Quo casu debent ei assistere duo antiquiores Diaconi, sive ex Dignitatibus, sive, his deficientibus, ex Canonicis, et his deficientibus, juniores Presbyteri in eorum habitu Canonicali, sed sine sacris paramentis.

3. Ordo autem, quoad accessum in Ecclesiam, deductionem et obviationem Canonicorum, ac reditum in fine, idem erit, prout supra in *Cap. xv. §. I. et XI. Lib. I.* declaratur.

4. In solemnioribus festivitibus Episcopus erit semper cum pluviali, ut supra dictum est. Poterit tamen, si magis placuerit, hujusmodi Missæ in festis minus solemnibus cum